

figi potest per concubitus mariti cum sorore sua. Cur itaque dicit illa, istam propositionem, quæ materialiter ipsius Mosis est, esse figmentum cerebri humani? Nunquid omnes Interpretes, & inter eos Lutherus finxerunt prohibitionem, quæ Mosis nunquam venit in mentem? Ita videtur adfertioni. Alteram verò prohibitionem avi cum nepte se non negare, sed tantum dicere prætendit, prohibitionem avi cum pronepte non exstare formaliter in lege Mosis: Respondeo, Moses nunquam vidit avum habentem proneptem, Ideoque non poterat inferere illam prohibitionem. Sed agnosco errorem typographicum, si illa agnoverit, etiam typographum errasse (quod jam post tot iteratas confessiones avi & proneptis vix faciet) ponendo avum pro proavo. Ita hæc res erit transacta. 36.

Eodem numero pergit adfertio) Flagitaveram ab adversario rationes, quare concessio defunctæ uxoris sororis non sit eruenda ex prohibitione cum viventis uxoris sorore. Has demum adfertio producit hoc modo: 37.

Ubi exstat prohibitio pura & universalis: Et mulierem ad sororem ejus non accipies: pausa! ibi concessio hæc: Licebit tibi defunctæ sororem ducere, erui non potest in æternum.

Atqui in d. vers. 18. exstat illa prohibitio pura & universalis: Et mulierem ad sororem ejus non accipies, pausa!

Ergo ex illo textu non eruetur illa concessio in æternum.

Respondeo, Major est falsa, & contraria ejus vera hoc modo: Ubi exstat prohibitio pura & universalis de non ducenda uxore ad sororem ejus, ibi utiq; implicite & per justam consequentiam omissa est prohibitio de non ducenda uxore post mortem ejus sororis. Hæc consequentia tam solide est firmata in præcedentibus, ut opus non sit quidquam adjici. Sive igitur hinc sit pausa, sive non, manet tamen tantum prohibitio sororis cum sorore, sive ad sororem ducendæ, quæ magis declaratur in verbis sequentibus: ad laceflendum, ad revelandum nuditatem ejus super eam, in vita ejus. Quam prohibitionis rationem qui ad mortem uxoris referet, is miros habet conceptus de mortua uxore. Manet itaq; illa prohibitio pura & universalis: Non ducet uxorem ad sororem, & tamen nihil est quod impediatur, quò minus ad illam tantum sororem restringatur, de quâ formaliter est concepta, videlicet uxoris viventis. Et sic cecidit hoc argumentum primum. Nunc 38.
ad secundum, quod sic infert: